



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

Praefatio. Ad Lectorem Antiq̄tatis Stvdiosvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115



PRÆFATIO.

AD LECTOREM ANTIQTI-
TATIS STUDIO SVM.

PRODIIT, amice Lector, vernalibus huius anni M. DCII. nundinis Moguntinis typis expressa peruetusti scriptoris ANASTASII S. R. E. Bibliothecarij, de nouem supra centum Pontificū Romanorum Vitis historia, eaq; varijs MSS. CODD. lectionibus illustrata; nunc quia aliam eiusdem argumenti, & æquè vetustam, ac nusquam hæctenus excusam, clarissimorum quorundam virorum beneficio nacti sumus, operæ pretium nos facturos putauimus, si eam Anastasiano operi nunc adiungeremus. LVITPRANDO Ticinensi Diacono, qui sub annum Domini 950. teste Ioanne TRITHEMIO claruit, inscripsimus, non quod M S. Codex, ex quo eam descripsimus auctorem prodiderit, (nullum enim nomen adscriptum inuenimus) aut quod firmæ solidæq; causæ huius nomenclaturæ suppeterent, sed quod iam olim Magdeburgici Centuriatores, qui hanc historiam sedulo peruolutarunt & multa ex ea in Centurias suas, maximè autem in nonam de Summis Pontificibus, eorumque sanctionibus retulerunt, LVITPRANDO, tanquam germano eius auctori constanter attribuerint. Quibus a. argumentorum momentis inducti id fecerint, ipsi viderint. Nobis certè non leuis subolet suspicio, primum hist riographos illos non alio vsos M S. exemplari, quam hoc ipso membranaceo, ex quo presentem historiam descripsimus, cum in fronte expressum habeat nomen MATHIÆ FLACII ILLYRICI, Magdeburgicorum Centuriatorum Principis. Deinde non alio persuasos argumento, v LVITPRANDO indigitarent, quã quod negari non possit ex remi
Pon

P R Æ F A T I O

Pontificis Romani **FORMOSI** vitā, verbis **LUITPRAN-**
DI, quæ exstant in capite octauo libri primi rerum per Europam ge-
starum, (cuius constat Luitprandum Ticinensem esse auctorem) to-
tam esse comprehensam. Ceterum hoc argumento labefactari potius,
quam stabiliri videtur istorum opinatio. Cum enim liqueat, totam nar-
rationem de Formoso verbo tenus exscriptam esse ex libro Luitpran-
di iam citato, non omisis quidem illis verbis (Pater sanctissime) quæ
prorsus furtum, fucumq; produnt, haud dubium est, quin ab aliquo scis-
olo, post verba illa, **FORMOSVS** Portuensis Episcopus,
sedit annos 5. menses 6. reliqua narratio fuerit assuta. *V-*
surparat autem Luitprandus in illa de rebus in Europa gestis historia
verba illa (Pater sanctissime) quod eam ad Regimundum Liberitanæ
Ecclesiæ in Hispania Episcopum conscripisset. Hanc verò de Pon-
tificibus historiam nulli Episcopo, vel alij Patri sanctissimo, inscrip-
ptam vel dedicatam esse manifestum est. Accedit, quod nec apud Sige-
bertum, nec Trithemium, nec Gesnerum, vllus de Vitæ Pontificum
Romanorum liber adscribatur Luitprando. Deinde, quia Trithemio
us scribit Luitprandum (licet ille vocet Eutrandum) claruisse sub an-
num Domini 950. imperante **OTTONE I.** Cæsare. Et rectè,
nam & Historiam suam Europæam vsque ad Ottonem perduxit. At
FORMOSVS, in quo nostra hæc terminatur historia, in viuus esse
desiit anno 895. à quo anno vsque ad dictum 950. viginti circiter
Pontifices Romani numerantur, de quibus nullum in præsentis Ponti-
ficum historia verbū. Adhæc in extremis huius Opusculi vitæ parti-
cularia quædam commemorantur, quæ non videntur profecta nisi ab
eo qui Formosi, decessorumq; eius temporibus floruerit, immò ab eo qui
in *VV*estphalia, vel Saxonia, vt in monasterio Corbeiensi, Hirsfel-
densi, vel Fuldensi tunc florentissimis, vixerit. Nam in **HADRI-**
ANO I. refert **CAROLVM** Magnum Romæ in *D.* Petri basi-
lica vouisse **DEO** se *Osnaburgi* in prouincia *Vestphaliæ*, quam res-
cens ad fidem Christi traduxerat, Episcopatum erecturum; quemad-
modum fecit, teste **ALBERTO** Krantzio libro 1. Metropol.
c. 2. & libro 2. Saxon. c. 11. Deinde in **HADRIANO II.** ait,
LUDO

AD LECTOREM.

*LVDOVICVM Imperatorem (is fuit Ludou. 2. Lotharij Im-
 per. filius) dedisse Ecclesie Corbeiensi & Herisfordensi quasdam de-
 cinales Ecclesias cum ipsis decimis in paræcia Osnaburgensi constituo-
 tas, consentiente Episcopo & omni clero. TVM Karolum Roma-
 norum Imperatorem honorificatæ Ecclesie, & à DEO honorifican-
 dæ Hersueldensi quasdam decimas in Frisoneuelt & Hassega Hal-
 berstadenfi adiacentes diœcesi dedisse, quas STEPHANVS Papa
 (IIII dictus III.) in basilica B. PETRI die sancto Paschæ sua
 auctoritate, & Imperatoris subscriptione, & Hildegrino Halbersta-
 densi Episcopo præsentate confirmavit. Præterea in STEPHANO
 VI. scribit Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, & Hadal-
 garium Hamburgensem Archiepiscopum de Bremensi Ecclesia con-
 tendentes Vormatiam venire à Summo Pontifice iussos, ibiq; Ful-
 conii Remensi Episcopo in causa eorum examinanda vices suas commi-
 sisse. Quam rem accuratè tractat Krantzius lib. 2. metropol. c. 19. 20.
 & 24. eiusdemq; meminere Albertus Stadensis in Chron. ad annum
 896. & Trithem. in Chronico Hirsaugiensi. Deniq; in postremorum
 Pontificum Vitis, nominatim autem PASCHALIS, BENEDI-
 CTI III. NICOLAI I. HADRIANI II. & IOANNIS VIII.
 non pauca eorundem decreta prolixè recitat, quæ in Tomis Concilio-
 rum non exstant; cum tamen exstant pleraq; omnia, quæ antiquiori-
 bus Pontificibus hinc tribuuntur. In LEONE vero IV. quadragin-
 tado capitula è Synodo Romana consilio Impp. LOTHARII
 & LVDOVICI coacta descripsit, quorum nulla quoq; mentio
 in dictis Tomis. Vnde coniecturam minimè obscuram facere licet hu-
 ius Opusculi auctorem vltimorum Pontificum temporibus, hoc est, sub
 annum Domini 860. maximè floruisse, & non sub 950. quo Luit-
 prandus: auctoremq; esse non Italum, sed Germanum in Corbeiensi, (ex
 quo aliqui ad Osnabrugensè Episcopatum illo saculo euecti sunt) vel
 Hirsfeldensi monasterio degentem. Quid si auctor sit PASCHA-
 SIUS Ratbertus Abbas Corbeiensis, quem Trithemius asseuerat
 Caroli Crassi floruisse temporibus? Carolus enim Crassus imperavit
 sub Ioanne 8. Marino, Hadriano 3. & Stephano 6. in quibus hæc
 historia*

PRÆFATIO

historia concluditur. SVBIECIMVS Luitprandi Opusculo, Epitome
 men de vitis Pontificum Romanorum ex Anastasio Bibliothecario,
 vel libro de vitis Pōtif. Roman. Damaso Papæ adscripto, quā MS.
 Codex (nobis ab iisdem ante dictis Clariss. Viris suppeditaturo) attri-
 buit ALBONI FLORIACENSI ABBATI, qui, teste
 Sigeberto, in Chronico, floruit sub annum Domini 994. Cur autem
 vel corollarij loco ad extremum eam addendam existimauerimus hæ
 causæ fuerunt. Prima, ne tam antiquum scriptum tandem inter blat-
 tarum tinearumq; morsus periret. Secunda, quia iuuare potest ad non-
 nulla loca in Anastasio nostro vel corrigenda vel illustranda. Tertia,
 quia breuitas cum perspicuitate coniuncta, gratior esse solet Lectori,
 quàm obscura prolixitas. QVOD demum ad operam nostram in vo-
 triusq; opusculi editione præstitam attinet, non habemus aliud, amice
 Lector, de quo te commonesciamus, quàm, nos Summorum Pontificū
 decreta, quæ in his Pontificum vitis passim citantur, sedulo cum fonte
 contulisse, hoc est, cum decretis quæ exstant in Conciliorum tomis, et
 tum varias lectiones ad marginem, si quando occurrebant, tum etiam
 è Gratiano canonum capitula annotauisse. Quam operam no-
 stram non dubitamus omnibus Theologiæ studiosis fo-
 re pergratam. VALE.



ELO-